

Heinrich Müller

**Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Müller/ Theol. D. & Prof. Ordinar. Ad  
Recolendam Sanctissimae Passionis Dominicae memoriam Cives Academicos  
serio seduloq[ue] invitat & hortatur : P.P. Rostochii sub sigillo Rectoratus d. 13.  
Febr. Anno MDCLXX.**

Rostochii: Kilius, 1670

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735994390>

Druck    Freier  Zugang



*Ostersonntag - Prægramma*

206  
122.

4. Prægramma  
RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

# HENRICUS

Müller,

Theol. D. & Prof. Ordinar.

Ad

Recolendam Sanctissimæ

# PASSIONIS DOMINICÆ

memoriam

CIVES ACADEMICOS seriò sedulòq;

invitat & hortatur.

P.P. Rostochii sub sigillo Rectoratus d 13. Febr.

Anno MDC LXX.



ROSTOCHII,

Literis JOHANNIS KILI, Acad. Typogr.

R.U.-Prog. 1670/4



251

Uneftissima sunt; quæ per-  
gens jam Servator Hieroſo-  
lymam versùs imminere  
ſibi iterùm iterùmque in-  
culcat. Apostolis suis *Luc.*  
*XVIII, v. 31.* inquiens; *Tra-*  
*detur filius hominis gentibus*  
*& illudetur, & flagellabitur, &*  
*conſpuetur, & poſquam flagel-*  
*laverint, occident eum.* Quoꝝ  
verba, tot momenta rerum. *Filius hominis*, qui de  
homine natus, & homini datus, quin totus etiam ho-  
mini deditus fuit, *tradetur gentibus*. A Juda, discipulo  
ſuo, Judæis, ab his, populo ſuo peculiari, gentibus  
traditur, qui rejectis Judæis inque perversum ſenſum  
tradiris, gentium, juxta Prophetarum vaticinia, & lu-  
men, eſſe debebat & delitium. Traditur autem non  
laudandus, ſed illudendus; non coronandus, ſed fla-  
gellantus; non exornandus, ſed conſpuendus; non  
deosculandus, ſed occidendus. Traditur illudendus.  
Dominus gloriae; flagellantus Medicus Israelis; con-  
ſpuendus mortaliū omnium pulcerrimus; traditur  
princeps vita occidendus. *Illudetur.* Factum id eſt &  
verbis & gestibus. Obvelabant enim faciem con-  
demnati

demnati & prophetiza, inquietabant, Christe, qui se  
pereussit? Caput nimirum ultimo suppicio afficiendis  
omnium ferè gentium more velabatur, De Persis testa-  
tur Historia Estheræ, c. VII. 8. De Atheniensibus Plu-  
tarchus, De Judæis Josephus I. VII, de B. J. c. 14. apud  
quem Eques Romanus captus à seditionis Judæis, re-  
vinctis post tergum manib[us], oculisq[ue] fasciā velatis ad sup-  
plicium ducitur. Romanorum carmen ferale ex Livio  
notissimum, I lictor, caput obnubito, infelici arbore su-  
spendito. Et flagellabitur. Nimirum crucifixionem  
apud Romanos præcedebat flagellatio, ut quasi esset  
hoc signo destinatus jam cruci candidatus, prout loqui-  
tur Apulejus. Nam, ut Hieronymus notat, legis Ro-  
manæ fuit, crucifigendos prius flagellis verberare, ut  
hac ratione ab honestorum hominum societate quasi  
separarentur. Erat autem flagellatio servile suppli-  
cium, quod non nisi vilissimis, abjectissimisque irro-  
gabatur mancipiis, ut est in l. in servos 19. ff. de poen. &  
l. levia ff. de accusat. Hinc Prudentius,

- - Tergum dedit ut servile flagellis

Et à Vopisco servi flagriones appellati, quod flagris  
subjecti essent, ut verberones à verberibus. Idem sta-  
tuit Paulus in l. Ped. 4. ff. de incend. ruin. & naufrag. l. I.  
§. cum paternus ff. de off. præ. urb. Unde cives Roma-  
nos flagellare non licuit Act. XVI, 37. XXII, 15. de quo  
Cicero pro Rabirio: Lex Porcia virgas ab omnium civi-  
um corporibus removit. Christus igitur flagellationis  
hoc supplicium propter nos in se suscepit, ut ex servi-  
tute peccati liberatos pristinæ restitueret libertati Job.  
VIII, 26. Unde meritò conqueritur Esaï. XLIII, 24. Serpere  
me fecisti in peccatis tuis; laborem præbuisti mibi in iniqui-  
tibus tuis. Et confuetur. Extremi contemptus signum  
rūm

tum apud Judæos Deut. XXV, 9. tum apud exteris gentes. Hinc despere pro vilipendere. Epicrates apud Athenæum diplos. XIII, c. 10. de Laide olim superba, jam abiecta; Ipsam videre ac inspere est facilimum. In primis apud Veteres usu receptum fuit, ut quamprimum quis mortis reus perageretur, impunè jam à quibusvis despueretur, quod, more suo, prolixè probatramiresius spicil. sacr. p. 213. Et postquam flagellaverint occident cum. Mortem nimirum crucis pro nobis est perpeccus Servator. Hanc apud Judæos usitatam non suisse probant Dionysius Gothofredus ad l. 38. ff. de pœnis & Casaubonus exerc. 36, cont. Baron. quamvis Lipsius & Sigonius de veteribus Judæis contrarium sentiant. Fuit autem crucis supplicium crudelissimum, JCt. Paulus l. 5. sent. 21. appellat summum supplicium, quod irrogari solebat auctoribus seditionis, per l. 38. §. 2. ff. de pœn. non tamen omnibus, sed servis atque mancipiis. Liberos enim homines, civesque Romanos funestâ hacce pœna affici non potuisse, nisi prius servi pœnæ fierent, multis docet Joach. Steph. l. 1. de Idiot. 7. n. 108. Imperator tandem Constantinus crucifixionis hoc supplicium lege sustulit, ne salutare signum suberviret ad perniciem, colendumque illud pœnia vilesceret damnatorum, referente Sozomeno l. 1. hist. Eccles. c. 8. Quâ de causâ Tribonianus in l. 28. in pr. l. 38. §. 2. ff. de pœnis, crucis loco furcam substituit, perperam tamen, ut ingeniosiores judicant JCti, quum crux & furca sint res diversæ. Cruci enim criminosi figuntur, furcis suspenduntur. Sed sufficient hæ ad verba Servatoris notula. Passus hæc à judæis, passus à gentilibus Redemptor. Utinam verò non eadem etiamnum hodiè ab illis pati cogeretur, qui Christiani

cum

cum non sint, dici tamen volunt atque videri! Utinam non & illi, hoc in primis tempore, quo Sacro-sanctæ passionis Dominicae memoria devoto pectori solemniter recolenda, proderent, illuderent, conspuerent, flagellarent denuoqùe occiderent Redemptorem suum! Quis hic non detur in stuporem, audiens agnum illum pro salute mortalium occisum ab origine mundi occidi indies, non ab ethnicis, non à Judæis, non à Turcis, sed Christianis & quis non compatiatur Servatori suo tam horrenda patientie quis sibi temperet abs lacrymis, videns & eos despere Bachanalia, qui sapere debebant unicè JESU M CHRISTUM, eundemque crucifixum! Tradebat Christum Judæis Judas, traditurusque, *Quid vultis inquietat, mibi dare, & ego eum tradam?* Quàm multi bachantium vel hac septimana tradituri erunt regem regum pro vilissima quaque re, turpissimāq; voluptate! Demosthenes postulatus ingens pretium ascorto, respondit, *Tanti pénitente non emo.* At quotus Christianorum quisque ita responderit mundo, si pro re nihili jubeatur tradere Christum? Tradebatur gentilibus à Judæis Servator. Sed quis petulans Bachanaliorum insania? nonne Christum, nonne Christianam, quā tantoperè gloriamur, religionem labé quādam adsperrgit infamia? nonne occasione p̄abet gentilib⁹, Judæis, Turcis deridendi Christum, ejusque traducendi religionem? Qui in lege gloriantur, ipsi per legis transgressionem Deum contumelia afficiunt. Nomen enim DEI propter illos blasphematur inter gentes, verē dixeris cum Paulo Rom. II, 23. 24. Majori certè heic jure ad bachantes nostros, quām Hebræorum

olim

olim plebs ad Mosen & Aaronem , Exod. V. Videat ,  
o pessimi , videat Dominus & judicet , quoniam fæte-  
re faciis nomen nostrum coram gentibus , ensemque  
sis , quo occidamini , præbetis . De gentilibus Serva-  
tor , quod sibi illusuri faciemque suam obvelaturi  
sint . Idem facturos his in primis prævideo diebus il-  
los , quiebrieti studentes imaginem DEI , ad quam  
formati sunt , obnubent , rationemque extermina-  
bunt omnem , ut jam non homines appareant , sed be-  
stia . Quot enim reperies in tabernis publicis super  
scamnis consopitos ! quot vacillantes in plateis , an-  
serum instar , vel jam jam in terram ruituros ! Hi cer-  
tè ipsi illudunt Christo , qui est imago patris & ad cu-  
jus similitudinem ministerio verbi per Spiritum S. re-  
formati sunt . Sed & illi faciem videntur obligaturi  
**Christo** , qui adeò peccabunt liberè , adeò impuden-  
ter , ac si scelerum vindex Dominus nil eorum quid-  
quam , quæ patrant , videret . Ingens certè insanias ,  
quia Deum non vides , mortalium nequissime , neque  
te ab ipso videri credere . Sed & venerandam faciem su-  
am sputis conspurcaturos gentiles prædictit Servator .  
Nonne conspuunt indies , qui blasphemias impuden-  
ter eructant ? ex fœrido sanè pectore extrahuntur  
blasphemias Deoque in faciem dicuntur , sputo fœti-  
diores longè , longè horribiliores , tam vero nonnullis  
recepta , ut , quot verba faciunt , tot misceant blas-  
phemias , ac si sermonis quædam essent condimenta ,  
aut sine illis loqui quidquam nesciant . A Romanis  
sanctissimum suum corpus loris , quæ flagella vocant ,  
taxillatis concisum iri meminit Dominus . Flagellant  
etiamnum , qui non satis habent , si delinquent soli ,  
sed

sed socios insuper sibi scelerum & petulantiarum ad-  
jungunt. Quod dum faciunt, ex pluribus quodam-  
modo funiculis flagellum connectunt, ut pluribus si-  
mul flagris Servatorem suum verberent, *Veni*, in-  
quientes, nobiscum, in sidemur sanguini, in sidemur in-  
nocenti absq[ue] causa, deglutiamus eos sicut sepulcrum vi-  
ventes, & integros sicut descendentes in foveam. Omnimo-  
dum substantiam preciosam reperiemus, inplebitur domus  
nostras spolis, fortem tuam projice inter nos. Marsupi-  
um unum sit omnibus nobis. *Prov. I, v. II. 12. 13. 14.* Romani tandem occidebant inque erucem agebant Do-  
minum gloriae. At quot sunt hodie, quot eheu! in-  
ter nostros etiam, qui denuo crucifigunt sibi ipsis fili-  
um Dei, eumque ad exemplum Judæorum excruciant  
*Hebr. VI, 9.* Innumeros proh dolor! reperias qui pec-  
cata peccatis cumulantes quoties non sine ingenti a-  
nimi prolubio peccant, toties in suam ipsorum perni-  
ciem crucifigunt Dominum. Tribus clavis Christus  
cruci affixus creditur. Unus affixit pedes. Sinistrum  
brachium alter. Tertius dexterum. Jam si tu, quis-  
quis peccas, Christo affigas pedes, non poterit ille  
ad te accedere. Quis ergo succurret prostrato? Ast  
ad ipsum ego, inquieres, accedam. Qui verò poterit  
accidentem amplesti, si sinistrum etiam affigas bra-  
chium? dextram tamen porriget, regeres. At qui  
poterit, si & illa per peccata tua hæreat affixa? Hæc,  
è mei, cogitate, hæc ad animum admittite vestrum.  
Quod si feceritis, non Bachanalia facile desipietis, quæ  
Christum sede eliciunt suæ, i.e. pectore vestro. Ser-  
vatori illipotius vestro gratias agetis, devotissimas,  
quod tot calamitates, tot injurias, flagra, sputum,


san-

sanguinem, quin deniq; mortem ipsam horrendumq;  
crucis supplicium vestri causa tam lubenter sustinuit.  
Memoria crucifixi Jesu crucifigat in vobis omne pec-  
catum, constringatque vos charitas illa Domini, quæ  
in passione conspicua fuit quam maximè, ne posthaec  
vobis vivatis, sed ei, qui pro vobis mortuus & susci-  
tatus est. *Ipsé enim, ut Bernhardus inquietabat olim,*  
*omnem debetis vitam vestram, quia ipse vitam suam*  
*posuit pro vestra, & cruciatus amares sustinuit, ne vos*  
*perpetuos sustineretis.* Faxit id Jesus, propter,  
quem pro nostrâ salute fudit, cruorem  
suum sanctissimum!

*Faxit!*



sed socios insuper sibi scelerum & p  
 jungunt. Quod dum faciunt, ex  
 modo funiculis flagellum connectu  
 mul flagris Servatorem suum ver  
 quientes, nobiscum, insidiemur sangu  
 nocenti absq[ue] causa, deglutiamus eos sa  
 ventes, & integras sicut descendentes in  
 dam substantiam pretiosam reperiemus  
 nostras spolis, forzen tuam proice in  
 um unum sit omnibus nobis. Prov. I,  
 mani tandem occidebant inque er  
 minum gloriæ. At quot sunt hodi  
 ter nostros etiam, qui denuo crucif  
 um Dei, eumque ad exemplum Juda  
 Hebr. VI, 9. Innumeros proh dolor  
 cata peccatis cumulantes quoties n  
 nimi prolubio peccant, toties in sua  
 aiem crucifigunt Dominum. Trib  
 cruci affixus creditur. Unus affixit  
 brachium alter. Tertius dexterum  
 quis peccas, Christo affigas pede  
 ad te accedere. Quis ergo succurre  
 ad ipsum ego, inquires, accedam.  
 accedentem amplecti, si sinistrum  
 chium? dextram tamen porriget,  
 poterit, si & illa per peccata tua ha  
 é mei, cogitate, hæc ad animum ad  
 Quod si feceritis, non Bachanalia fac  
 Christum sed eiiciunt suæ, i.e. ped  
 vatori illipotius vestro gratias age  
 quod tot calamitates, tot injurias,



m ad-  
 odam-  
 bus si-  
 ns, in-  
 sur in-  
 um vi-  
 nimmo-  
 domus  
 irsupi-  
 R O-  
 it Do-  
 eu! in-  
 sis fili-  
 aciant  
 i pec-  
 nti a-  
 penui-  
 ristus;  
 strum  
 quis-  
 rit ille  
 ? Ast  
 oterit  
 s bra-  
 At qui  
 Hæc,  
 rum.  
 ,quæ  
 Ser-  
 simas,  
 tum,  
 san-

Patch Reference Numbers on UTT Patch Reference Chart TE63 Serial No. 1234567890

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. 1234567890